



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Quomodo se habeat ad pudicitiam. 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

tur ad delectationes venereorum, tamen etiam per se ordinantur ad vitam hominis conseruandam: & ideo etiam per se habent specialem virtutem, quamuis illa virtus, quæ abstinencia dicitur, ordinet actum suum ad finem castitatis.

ARTIC. I V.

Vtrum pudicitia pertineat specialiter ad castitatem?

731

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod pudicitia non pertineat specialiter ad castitatem. Dicit enim August. in 1. de ciuit. Dei *, quod pudicitia est quedam virtus animæ. Non ergo est aliquid ad castitatem pertinens, sed est per seipsam virtus à castitate distincta.

Supra q. 143. cor. li. 1. c. 18 parum à prin. 10. 5

¶ 2 Præterea, Pudicitia à pudore dicitur, qui videtur idem esse verecundiæ. Sed verecundiæ secundum Damascenum * est de turpi actu: quod conuenit omni actui vicioso. Ergo pudicitia non magis pertinet ad castitatem, quam ad alias virtutes.

li. 2. ori. fid. c. 15.

¶ 3 Præterea, Philosoph. dicit in 3. Ethic. * quod omnis intemperantia generaliter est maximè exprobrabilis. Sed ad pudicitiam pertinere videtur fugere eam, quæ exprobrabilia sunt. Ergo pudicitia pertinet ad omnes partes temperantiæ, non autem specialiter ad castitatem.

li. 3. c. 12. som. 5.

SE D contra est, quod August. dicit in lib. de Perseuerantia *, Prædicanda est pudicitia, vt ab eo qui habet aures audiendi, nihil genitalibus membris illicitum perpetretur. Sed vsus genitalium membrorum propriè pertinet ad castitatem. Ergo pudicitia propriè ad castitatem pertinet.

c. 20. pau. lo à pri. som. 7.

RE S P O N D E O dicendum, quod sicut dictum est *, nomen pudicitie à pudore sumitur, in quo verecundiæ significatur. Et ideo oportet quod pudicitia propriè sit circa illa, de quibus homines magis verecundantur. Maximè autem verecundantur homines de actibus venereis, vt August. dicit in 14. de ciuit. * Deij, in tantum quod etiam concubitus coniugalis, qui

In arg. 2 huius a. li. 14. c. 18. circa me. 10. 5.

honeste-

honestate nuptiarum decoratur, verecundia non creat. Et hoc ideò, quia motus genitalium membrorum non subijcitur imperio rationis, sicut motus aliorum exteriorum membrorum. Verecundatur autem homo non solù de illa commitione venerea, sed etiã de quibuscumque signis eius, vt Philosoph. dicit in 2. lib. Rhet. * Et ideò pudicitia attenditur proprie circa venerea, & præcipuè circa signa venereorum: sicut sunt aspectus impudici, oscula, & tactus. Et quia hæc magis solent deprehendi, ideò pudicitia magis respicit huiusmodi exteriora signa: castitas autem magis ipsam veneream commitionem. Et ideò pudicitia ad castitatem ordinatur, non quasi virtus ab ipsa distincta, sed sicut exprimens castitatis circumstantiam quandam. Interdum tamen vnum pro alio ponitur.

li. 2. c. 6.
post me.
1073. 6.

Ad primum ergo dicendum, quòd August. ibi accipit pudicitiam pro castitate.

Ad secundum dicendum, quòd quamuis omnia vitia habeant turpitudinem quandam, specialiter tamen vitia intemperantiæ, vt ex supradictis patet.

Ad tertium dicendum, quòd inter vitia intemperantiæ, præcipuè sunt exprobrabilia peccata venereorum propter inobedientiam genitalium membrorum, tum etiam propter hoc quòd ratio ab huiusmodi maxime absorbetur.

QVÆST. CLII.

De virginitate, in quinque articulos diuisa.

Deinde considerandum est de Virginitate.

¶ Et circa hoc quærentur quinque.

- ¶ Primo, in quo consistat virginitas.
- ¶ Secundo, vtrum sit licita?
- ¶ Tertio, vtrum sit virtus?
- ¶ Quarto, de excellentia eius, respectu matrimonij.
- ¶ Quinto, de excellentia eius, respectu aliarum virtutum.

A R.